



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiae, 1688**

Formula dimissorialium litterarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

**Sponsalia**, si cum una contracta, & non sunt dissoluta.

**Votum**, scilicet simplex, sive castitatis, sive religionis, sive non nubendi.

Dicitur est supra quod potissimum sint sex impediencia, quia sunt adhuc aliqua, nimirum omissio benedictionis saltem in primo matrimonio. Omissio proclamationum, nisi Ordinarius dispenset.

**Formula testimonialium non obstantis impedimenti Canonici: ac dimissorialium literarum.**

**N.** Pastor (vel sacerdos curatus) Ecclesie parochialis **N.** diocesis Trevirensis, venerabili Domino Pastori vel sacerdoti curato Ecclesie parochialis **N.** diocesis. **N.** salutem in Domino.

Notum sit dilectioni tuae, & omnibus presentes literas testimoniales visuris, quod tribus proclamationibus ex more Ecclesie Catholicae, in nostro parochiali templo tribus festivis diebus factis, de matrimonio ineundo, inter honestos **NN.** (ponatur sponsi nomen, parentum, cognomen & patria) nostrum parochianum, & **NN.** parochianam vestram, nemo se opposuerit, vel ullo modo contradixerit; quare non existimamus ullum canonici impedimenti obstaculum existere, de quo nobis constet, quin legitime possit dictus noster parochianus, cum vestra parochiana in facie Ecclesie contrahere, quem eum in finem per presentes dimittimus. Quod omnibus quorum interest, certum esse volumus sub attestatione sigilli consueti. Datae **N.** die **N.** mensis **N.** Anno **N.**

**RITUS CELEBRANDI MATRIMONII  
SACRAMENTUM.**

**P**arochus matrimonium celebraturus, publicationibus factis tribus diebus festivis, ut dictum est, si nullum obstet legitimum impedimentum, in Ecclesia superpelliceo & albâ stolâ indutus, adhibito ministro, qui vas aquae benedictae cum aspersorio deferat, coram testibus, ad virum, & mulierem, quos parentum vel propinquorum tuorum praesentiâ cohonestari decet, exhortationem legat sequen-